

2

AD  
ORATIONEM ANNIVERSARIAM  
IN  
MEMORIAM  
VIRI  
AMPLISSIMI CLARISSIMIQUE  
MELCHIORIS CASPARIS  
VVINCKLERI,

HAEREDITARII in Ober-Ullersdorff ET Sommerau,

D. IV. IVN. MDCCLXII.

HOR. VIII.

AB SE HABENDAM

OMNI PIETATE ET HVMANITATE

INVITAT,

SIMVLQVE

DE

FAMILIAE SCHOENBVRGICAE  
GENERATIONVM SVPPVTATIONE

RECENSIONEM ALTERAM

PRAEMITTIT

ADAM DANIEL RICHTERVS

GYMNAS. ZITTAV, DIRECT.

C 2

**D**um de gentis Schoenbergicae generationum supputatione, facto ab origine, antiquitate ac dignitate Schoenburgicorum initio, ita exponere coepi, ut VITVS de SCHOENBURG descriptioni nostrae superiori finem faceret, simul, me data occasione incepta persequutus esse, promisi. Quae promissio ne in longinquum tempus dilata, uel etiam profusus reiecta esse uideatur, FRIDERICVS de SCHOENBURG, VITI filius cum posteris quibusdam generis sui, a se genitis ac propagatis, argumenta denuo huic descriptioni suppeditabunt, cuius opellae nostrae aliqua saltem aestimatio erit penes illos, qui, istarum rerum amatores, nouerint, quae cum difficilis tum utilis res sit, familiarum originem, ex qua clarorum uirorum propagines possunt cognosci, aliquantum sedulius persequari. Sunt itaque *Domini de Schoenburg*, quos charta cape-

FRIDERICVS de SCHOENBURG, VITI, cuius uitae expositio breuibus data superiori nostra descriptione concluderetur, unicuique filius, qui, gentis SCHOENBURGICAE superstitis parens factus, et Dominus olim in *Glauchau*, prope *Aufham* in Bohemia contra Hussitas an. 1426. in pugna occisus expirauit. *Vid. Molleri Annal. Frybergens. p. 120. Jgg. Bohemos an. 1447. ex agro Erfurtenfis expulsos fortiter abegit. An. 1454. summus Capitaneus Zwicauiae tunc constitutus, in Prussia ordini equitum Teutonicorum, una cum Rutheno de Plawia, subsidio profectus, uid. Nicolassens von Lausig Zeit und Geschichtes Buch, P. II. f. 754. et anno insequenti 1455. redux factus, hoc eodem anno Electori Friderico, apud quem gratia et auctoritate plurimum ualebat, filios principes, raptu tunc abductos, in libertatem uindicatos feliciter relinquit. uid. Chronic. Chemnicens. in 4to. P. II. p. 36. An. 1461. comes fuit *Wilhelmi*, Ducis Saxoniae, in terram Hierosolymae proficiscentis, quo quidem ipso anno mortem deinde obiit, redux an in itinere, mihi saltem non liquet. uid. Molleri Annal. Frybergens. Vixore fidelissima atque optima gawisus, *Anna de Plawia*, *Henrici III. Burggrauii Misnensis* filia, et quae post mortem an. 1465. forem, *Margaretham de Plawia*, *Zinckii Grassneri de Schoenburg* uiduam relictam, in bonis utensilibus haeredem habuit, uid. *M. Koerner*, Big. Diplom. Schoenburg, filium genuit, qui nominatus est*

DIETRICH de SCHOENBURG, de quo nihil adhuc constat.

II. FRIDERICVS de SCHOENBURG, qui statim anno 1455. per litteras matrimoniales, dimidia parte *Glauchae*, quae sui ipsius ditionis erat, pignori apposita, uxori suae, *Elisabethae Guteschaeinae*, s. *Guttscheynae*, i. e. *Guttensteinae*, de dote caeuere uoluit. *Vit. M. Koerner. ibidem. An. 1456. Imperatoris edicto adactus Comitatum Hartenstein de clientelae jure Electori Saxoniae Friderico de Schoenburg obstringere debuit. Vid. Lunig. spicil. sect. II. p. 1216. Ejusd. Corp. Jur. Feudal. Germ. II. p. 551. et Lüd. Mencken. de ui superior. territ. p. 31. An. 1465. rex *Georgius* in Bohemia grauius tribunali in *Westphalia de Dominis de Schoenburg* interdixit, uid. *Dorl. Gegen-Anzeige*, Beyl. II. Hic est ille de *Schoenburg Fridericus*, qui statuta urbis *Glauchae* primus et futuribus ibidem litteras officii constituit, quas deinde an. 1468. simul cum fratre *Vito*, sicuti etiam anno 1472. die Dominica post *Sim. et Iud. pannificum* litteras, olim a *Vito*, seniore, datas, publice ratas esse uoluit. An. 1479. publicis litteris id dedit Senatui *Glauchauensi*, ut ipsius consensu quadringentos Florenos a Senatu *Zwiccaviae* mutuarent. Obiit diem suum an. 1481. uel, ut alii, an. 1479. filio ex uxore *Elisabetha*, *Comitis Bernhards* in *Guttenstein* filia, quae an. 1507. uidua mortem obiit, unico relicto, qui fuit*

ERNESTVS de SCHOENBURG. Hic iter fecit anno 1476. cum *Alberto*, Duce Saxoniae, in *Palaeistinam* ad sepulcri Dominici Ecclesiam *Hierosolymae*, quem comitatum non *Wilhelmus* solum *Hennebergensis*, sed alii etiam adhuc plures sua celebritate cohonestabant. uid. *Hansj von Mergenthals Beschreibung dieser Reise*, et. *Molleri Annal. Frybergens. p. 116.* Quum strenuam semper Imperatori, *Friderico III.* et praesertim in bello filio eius principi captiuo, *Maximiliano I.* nauaret operam, Tribuni legatus die sabbathi ante *Pauli* conuersionem an. 1488. prope *Grünbergam* in *Belgio*, crus subter genu globulo ictus, infrequenti die *Martis* ex uulnere accepto *Silsfurthi* infeliciter interiit, et *Andorsii* in sacello *D. Mariae* ritu militari sepultus est. *Vid. Wolff Heinrichs von Schönburg zu Penig Personalia.* Vxor eius *Anna*, Comitissa de *Ryneck*, nata 1458. per connubium cum illo an. 1478. sociata, et anno demum 1525. d. 13. Decembr. in uiduitate sua mortua, duo filios, quibus *Ernestus de Schoenburg* pater fuerat, ex se natos sola post mortem eius educauit, teste chartula quadam, quae *Merani* in templo adhuc conspicienda asseruatur. An. 1495. haec uidua *Ernesti de Schoenburg*, *Anna*, sibi et filiis suis, eorumque haeredibus, ius praesentandi sacerdotes ad altare *Merani* in templo tunc de nouo erectum obtinuit. *Vid. Schoettigen. Diplom. Vachlese X. p. 155. et an. 1498. fratris* *Kalendari* in oppidulo *Loefnitz*, sui ipsius et filiorum nomine, potestatem ad altare *Erasmi Martyris*, in isto oppidulo sacerdotem constituendi, litteris *Glauchauiae* desuper conscriptis, quibus nata de *Diemeck* dicitur, quum Comitissa de *Ryneck* fuit, uid. *Humberge Abbildung des Balands, p. 305. eiusd. sepulcrum Druff, p. 318. anno autem 1501. Dominus de Weisbach ius*

praedii cuiusdam possidendi concessit. *Vid. Königs Geneal. derer von Weisbach, Cap. 12.* Reliquum opinio quosdam in eo fecellit, modo unum fuisse *Ernestum de Schoenburg*, tribus uicibus coniugem, quom tamen huius *Ernesti*, id quod ex iam supra dictis constat, ad quos uel superiori extremo, uel hoc suo tunc nouo seculo, praefectura de *Hohenstein*, de *Lohma*, *et.* pertinere coepit, omnino duo filii insequentes fuerunt

a) WOLF DE SCHOENBURG, Dominus in *Glauchau*, natus 1482. cuius ipseus et aliorum adiumento uenae metallicae in *Valle Ioachimica* an. 1510. primum detectae, et demum sexto anno post 1516. initia ipsius urbis a *Ioachigo* dictae in *Bohemia* posita sunt. Regem Poloniae, *Sigismundum*, qui equitibus ordinis *Ioannites* in *Borussia* bellum facere adortus erat, an. 1519. in magno comitatu aliorum cum XIV. millibus, adiutum profectus est, *uid. Joh. Schüs et Georg. Nicol. Zeit- und Welt-Geschichte, P. II. f. 833.* cui regi post an. 1520. nomine *Marchionis Alberti* bellum denunciare missus est, *uid. Sonnersberg S.R. Silf. I. p. 1067.* Et quoniam an. 1521. uia publica, quae ex Comitatu *Hartenstein* per sylvam Bohemicam pergit, multis imbribus et magno transitu prorsus inexplicabilis, glareae saepius subterni et marginari debebat, *Carolus V.* Imperator, litteris desuper *Wormatiae* d. 20. Maii scriptis, *Wolffo* hunc nostrum de *Schoenburg*, et fratrem eius, *Ernestum*, isto priuilegio donauit, ut ad suppedandum fumbibus utriusque cum haeredibus suis et omnibus successoribus in hoc comitatu suo *Hartenstein* portorium a proficiscentibus exigendum instituerent. Extremum uitae suae diem *Wolffus Glauchauica*, ubi certum domicilium habuit, an. tandem 1529. die Mercurii post Decollat. Iohannis, morte beata consecit, de quo *Wolffo* plura uideas in *Fladeri descriptione oppidali Wiesenthal, in tractu montano Misniae, pag. 19. 199.*

b) ERNESTVS DE SCHOENBURG, Jun. Dominus in *Glauchau*, *Waldenburg*, *Lichtenstein*, *Hartenstein*, *et.* natus 1486. al. 1488. cuius cum fratre ipseus *Wolffo* tutelam *Georgius*, Dux Saxoniae, praescripto quodam *Dominis de Sternberg* an. 1489. demandabat, *uid. Vorl. Gegen-Anzeige, Beyl. W. 10.* Constituit hic *Ernestus*, communis ille pater, ad quem iam nostros *Dominus de Schoenburg* sui originem referre oportet, an. 1522. in montibus *Misniae* oppidulum *Scheibenberg* et in oppidulo ipso senatum, duobus argenteis cunitatis sigillis a se ornatum, quod quidem oppidulum post an. 1550. ex Comitatu *Hartenstein* ad *Electorem Augustum* deuenit. *uid. Chron. Annabergens. P. II. p. 24.* An. 1524. *Georgius*, dux Saxoniae, pactionem huius *Ernesti* cum fratre *Wolffo* de *Schoenburg* de rebus suis carabat, *uid. Furtze vorl. Anzeige, Beyl. n. 113.* et mittebat hunc *Ernestum*, Consiliarium suum et Procuratorem regni, *uid. Dan. Seyfferts Mel. Melic. pag. 561. an. 1525.* tunc belli supremum legatum constitutum, contra rusticos, qui isto temporibus bellare coeperant, in qua quaedam bellica expeditione *Ernestus de Schoenburg* idis rerum, quas strenue gerebat, euentu utebatur, ut *Thomam Mansterum* ipsum, turbae ac tumultus inter rusticos concitatore, comprehensum ad castellum *Heldrungen* in custodiam mitteret, qui autem inter ipsos subditos *Schoenburgicos* in agris seditiosi erant, alios quosdam securi, alios patibulo alioque supplicio necandos damnaret. Praeter egregias possessiones, quas supra diximus, fundos et praedia, et quibus omnibus praefecturam *Hohensteinensem*, *Lohmam*, *et.* uel circa finem tunc superioris, aut sub initium statim seculi supra millesimum sexti accessisse nouimus, *Penicium* quoque ex matrimonio possidendam accepit, quo *Amaliam*, al. *Amabiliam*, *Hugonis*, *Burggrauii Lifsicensis* ultimi, filiam, et quae an. 1569. uidua huius *Ernesti* relicta, mortem suam obiit, an. 1526. secum feliciter iunxerat. Litteras huius *Ernesti* *Torgauiam* ad Consiliarios Electorales an. 1529. missas uidere licet in *der Vorl. Gegen-Anzeige, Beyl. K. 4.* mandatum uero *Ernesto* ab *Electore Iohanne* hoc eodem anno missum, cui etiam *Ernestus* rescripsit, *ibid. L. 4. M. 4.* nec non epistolam, quam *Ernestus* an. 1531. a Duce *Georgio* accepit, *ibid. O. 5.* cum litteris, quas ad *Electorem Iohannem Fridericum* an. 1532. denouo tunc dabat, *ibid. M. 4.* Hic idem *Electer Ioh. Fridericus* colloquebatur anno 1532. cum Administratoribus regni Bohemiae, quae de Clientela *Schoenburgicorum* monenda erant, per litteras, quae typis expressae habentur in *der Furtzen Vorl. Anzeige, Beyl. n. 70.* Litteras autem, quas *Ernestus* nosse anno insequenti 1533. Consiliariis in Bohemia scripsit, *uid. in der Vorl. Gegen-Anzeige, Beyl. N. 4.* et pactionem, quam de lite inter *Electorem Ioh. Fridericum* et *Ernestum de Schoenburg*, dux *Henricus* an. 1534. fecit, in *der Furtzen Vorl. Anzeige, Beyl. n. 94.* Tanta acerbitate hic *Ernestus de Schoenburg* iustitiam exercebat, ut an. 1531. duobus ciuibus *Annabergensibus*, qui in suae ditionis piscatibus fures comprehensi erant, oculos effodi iuberet. Tandem, religionem a *Luthero* repurgatam consilio *Electoris Ioh. Friderici*, cuius opera iam an. 1533. *M. Christophorus Eringius*, *Lutheranus* concionatur, *Glauchoniam* concesserat, *Ernestum* tunc non mediocriter aegrotum in rebus fidei coetus emendati influendi causa, amplexus et an. 1534. supremo uaticio sub utraque resecutus, non diu post an. 1534. mortem beate obiit. Filii, quos ex uxore sua habuit, sunt insequentes.

A. IOHANNES ERNESTVS DE SCHOENBURG, Dominus in *Glauchau* et *Waldenburg*, natus 1527. qui iam an. 1544. in comitatu *Mauritii*, Ducis Saxoniae, cum triginta equis in militiam contra Gallos profectus, et eodem anno sub ferias Angelorum dictas etiam feliciter redux factus est, denatus deinde *Wittenbergae* an. 1547. aetatis 20.

B. GEORGE DE SCHOENBURG, natus 1529. Dominus in *Glauchau* et *Waldenburg*. An. 1543. *Georgius* et fratres eius, *Iohannes Ernestus*, quem iam nominauimus, *Hugo* et *Wolfgang*.

gum cum *Mauritio et Augusto*, post id tempus *Electoibus*, per tutores suos, *Guntherum* puta, Comitem de *Schwartzburg*, *Iohannem Georgium*, Comitem de *Mansfeld*, *Fridericum* et *Casparum* seniore de *Schoenberg* et *Borjensstein*, *Christophorum Henricum*, Comitem de *Stolberg*, et *Doct. Ludouicum Fachsen*, commutationem faciebant praefecturae in *Hohenstein*, *Lohma*, *Wehla*, et. cum comitatu *Penigk* et monasterio *Zschillen*, iam in huius rei memoriam *VVeichselburg* nuncupato, cuius quidem commutationis litteras desuper scriptas iam nunc legere licet in *M. Georg. Keyssige Beyträgen zur Historie der Chur- und Fürstl. Sächs. Lande*, P. V. no. 5. Litteras *Georgii de Schoenburg* an. 1547. ad *D. Fachsen* de rebus officii, quas *Bohemia* ob neum beneficium a gente *Schoenburgica* postulabat, uid. in *der kurtzen vorl. Anzeige*, *Beyl. no. 146*. An. 1548. castellum *Rochsburg*, emtione comparatum, sub ditione gentis *Schoenburgicae*, separatim quidem *Glauchauensis*, primum esse coepit, quo eodem anno hic *Georgius de Schoenburg* in solemnitatibus, quibus *Mauritius* Electoralem dignitatem Saxoniae in fidem *Augustae Vindelicorum* sibi traditam accipiebat, ensen Electoralem praetulisse commemoratur. Provinciae legatus constitutus, quae *Augustus* an. 1554. *Numburgi* transegerat cum *Iohanne Friderico*, suo Electoratu priuato, nominis subscriptione confirmauit. An. 1556. *Augustus*, *Elector* Saxoniae, praecipiebat *Dominis de Schoenburg* de *Visitatione*, quae dicebatur, per litteras, uid. *vorl. Gegen-Anzeige*, *Beyl. T. 4*. quo eodem anno *Georgius* noster de *Schoenburg* ad litteras, ab *Electoralibus* *Visitatoribus* ad *Dominos de Schoenburg* adlatas, respondit, uid. *ibid. Beyl. V. 4. VV. 4*. In diuisione haereditatis an. 1556. facta hic *Georgius de Schoenburg* partem separatim suam accepit in *Glauchau*. An. 1566. *Georgius et VVolfgangus*, fratres de *Schoenburg*, *Augustum Vindelicorum Augustum, Electorem*, ad comitia Romana proficiscentem comitati, una cum aliis signa clientelaria Prouinciarum Saxoniarum praetulerunt. uid. *Amal. Frybergens* 187. An. 1667. *Elector Augustus*, irruptione quadam ex praefectura *Zwicecauensis* in *Mosellam* tunc facta, *Georgio de Schoenburg* per litteras de futuro cauit. uid. *vorl. Gegen-Anzeige*, *Beyl. Q. 5*. An. 1577. *Georgius de Schoenburg* coriariis immunitatem officii sui in *Glauchau* primam donauit, litteris desuper exaratis publice confirmatam. Litteras *Augusti, Electoris*, intercessionales, quas dicunt, ad *Georgium de Schoenburg* uide in *der vorl. Gegen-Anzeige*, *Beyl. P. 5*. Decessit tandem an. 1585. d. 13. Sept. *Georgius de Schoenburg* liberis suis et uxori in oppidulo, quod sua sibi pecunia praeratur, *Greslar*, et sepultus iacet *Glauchouiae* in monumento suo. Trinis nuptiis coniux factus sibi aduinxit primis an. 1547. *Dorotheam*, filiam *Ernesti*, Comitis in *Mansfeld* filiam, quae an. 1550. mortua est, secundis an. 1551. *Dorotheam*, *Ruthenam de Graitz*, quae anno 1572. d. 28. Aug. uitam posuit, et diu prorsus post tertius demum an. 1581. *Catharinam Agatham*, *Liberi Barons de Putbus* in *Rugia* filiam, ex gente Comitem de *Hohenstein* et *Eberstein* oriundam, quae deinde an. 1608. d. 20. April. aetatis 59. *Lichtensteinii*, in iuduitate relicta, beate decessit, per totos tamen undecim annos e manibus pedibusque articuloorum dolore uehementer et ita debilis, ut, confidens in unis perpetuo iisdemque sedibus, nullatenus pedem efferre poterit. Filii *Georgii de Schoenburg* numero sex, et quorum unus patri superfuit, singuli suo ac proprio uocabulo nominati sunt.

- 1) ERNESTVS DE SCHOENBURG, qui Comitissam, *Mariam Iohannam de Solms* an. 1576. d. 14. Martii in matrimonium duxit.
- 2) GEORGIUS PETRVS DE SCHOENBURG.
- 3) IOHANNES HOYERVS DE SCHOENBURG natus 1533. qui an. 1576. matrimonio iunctus non diu post eodem anno d. 15. Octobr. in *Planitz*, prope *Zwicecauam*, sine liberis decessit.
- 4) CHRISTOPHORVS FRIDERICVS DE SCHOENBURG.
- 5) ALEXANDER DE SCHOENBURG, natus 1581.
- 6) AVGVSTVS DE SCHOENBURG, natus 1583. d. 20. Maii, Dominus in *Glauchau*, *VValdenburg*, et. et haereditarius in *Greslar*, qui iam ob chartae angustias usque in aliud tempus differendus est.

AVGVSTVM itaque de SCHOENBURG et reliquos quosdam DOMINOS DE SCHOENBURG, in sua generationum supputatione memorandos, alia quaedam pagella suo tempore cum lectoribus nostris beneuolis communicabit. Propositi enim, quod scribens haec habui, memor memoriam *Viri Amplissimi, Clarissimi* MELCHIORIS CASPARIS WINCKLERI, *Haereditarii* quondam in *Ober-Allersdorff* et *Sommerau*, singulis annis solemniter oratione conferuandam, iam renouare debeo. Cui honestissimo et pio instituto ut satisfaciam, de *VERE SACRO ROMANORVM* ita dicam, ut, sanctitatem ueris aeterni Christianorum in caelis simul laudaturus, iusta ratione, quod in me est, immortalitati nominis huius VIRI parentauerim.

Obsecro itaque et rogo, ut MAGNIFICVS et AMPLISSIMVS SENATVS, VIRI SVMMI ET MAXIME REVERENDI SACRORVM ANTISTITES, et VIRI OMNES IN QVOLIBET ORDINE literarum, dignitate, eruditione famaque magni et conspicui, qui quae diuis manibus Winckleri fauent, proximo die Veneris, hora VIII. mihi dicenti adesse haud grauentur. Ded.

Fer. II. Pentec. MDCCCLXII.

ZITAVIAE, TYPIS IOANN. GOTTL. NICOLAI.

AD  
ORATIONEM ANNIVERSARIAM  
IN  
MEMORIAM  
VIRI

AMPLISSIMI CLARISSIMIQVE

MELCHIORIS CASPARIS

INCKLERI,

in Ober-Ullersdorff ET Sommerau,

IV. IVN. MDCCLXII.

HOR. VIII.

AB SE HABENDAM

PIETATE ET HVMANITATE

INVITAT,

SIMVLQVE

DE

E SCHOENBVRGICAE


ATIONVM SVPPVTATIONE

RECENSIONEM ALTERAM

PRAEMITTIT

DANIEL RICHTERVS

GYMNAS. ZITTAV. DIRECT.



C. 2

